aperiret. de recepta illa sufficientia et efficacia mortis
Christi distinctione, nescio an sit unquam inter sanos The-
logos controversum: Sed quum hoc nunquam eterni Patris
consilium fuerit, ut pro omnibus et singulis moreretur, sed
illum duntaxat pro electis suis tradiderit, formulam illam,
qua dicitur Christus pro omnibus sufficienter mortuus,
ut incommodam, et falsâ quoq; hypothesi utentem, meritò
mihi videor deprehendisse. Quanquam hâc minimè negem,
quod de sufficientia et efficacia distinctione dicitur. Neq;
dubito, mi Frater, quin hoc etiam argumentum ita sis
tractaturq, ut inde non possint adversarii colligere, non
satis hâc de re inter nos ipsos convenire. Bene vale,
Vir eximie et summè observande Frater: et nos vi-
cissim, quod facis, amare perge. Dominus Jesus tibi
tuisq; sanctis laboribus magis ac magis benedicat. Ge-
nevæ 27. Maji. 1590. Tuus Beza.

143)

D. Davidi Pareo.

S. Quam grata mihi et jucunda fuerit, observande Frater,
illa tua in me singularis benevolentiæ significatio, in
literis ad me tuis expressa, tam mihi molestum et acerbum
fuit, quod narras de surgum istic gliscente Sissidii specie.
in illo præcipuo nostræ Religionis capite: quâ de re nihil
prorsus intellexeram. Quum autem ita se res habeat, meo
quidem judicio, sicuti scribis, id est, non in doctrinâ ipsâ
sed in ejus tradendæ modo, positum sit sententiæ d.
Ursini, beatæ memoriæ et nostra in eâdem re explican-
dâ tractationis discrimen, absit, ut propterea scindatur
Ecclesia, quum ne ipso quidem adhuc superstite d. Ursino
istud acciderit, cujus modestiam verè Christianam

quem te non dubitem tuâ etiam sponte in hâc agendâ causâ sequuturum, confido fore, ut nihil inde mali oriatur. Ad rem autem ipsam quod attinet, hoc ut spero, facilè mihi concedes, vitam eternam non simpliciter iis promitti, qui non peccârint, sed iis, qui legem plenè prestiterint. Ex quo mihi quidem videtur necessariò concludendum, quum peccatores comperiamur, duo ad justitiam in nobis requiri: unum, quo à peccatis et maledictionis lege absolvamur; alterum, quo vitam eternam et benedictionem in lege promissam in Christo adipiscamur: Hoc autem utrumq; quùm ex Christi obedientia secundùm Evangelicum foedus petimus, ut pote quæ tum satisfactionis et expiationis, tum absolutissimæ prestationis legis: utramvis ejus tabulam spectemus, rationem habeat, illam certè non discerpimus, quum illa respectu duplici considerata duplex in ea beneficium quærimus. Et huc certè nos adducit ipsa justitiæ et obedientiæ Christi appellatio, toties in scripturis repetita, quæ certè ad mandatorum legis prestationem nos revocat, sicut mortis et satisfactionis nomina eandem illam et unam obedientiam nobis ut λύτρον et satisfactionem pro nostris peccatis proponunt. Denique quisquis in nostra justificatione per Christi obedientiam nobis imputatam tres distinctos partes constituit, non propterea obedientiam Christi magis secat, quàm qui ex unâ et eâdem causâ plura eliciunt effecta. Neq; sanè arbitror D. Ursinum, quamvis non ita expressâ distinctione utentem, tamen de istis capitibus unquam dubitâsse, ut illi fuerit opus aliquâ sententiæ mutatione, vel ἐπεξηγήσεως illi objicienda, cujus certè pretiosa est apud me memoria, sicut virum illum propter eximia Dei dona semper amantissimè colui; sed de istis plus satis. Quæ si tibi satisfecerint, valde gaudebo. Sin verò ampliorem hâc de re

hâc de re. 6 Sylvber à me requisieris, non sum huic officio defuturus. Vehementer autem abs te peto, quod ultrò mihi polliceris, nempe ut quam tibi injuriam factam esse dicis, etiamsi fortassis ita res est, Ecclesiæ paci potiùs condones, quam acriùs illam persequendo, vulng istud exacerbetur. de rebus nostris nunc quidem tolerabilis est utcunq; nostra conditio in tanti belli tempestate, hoste majoribus rebus occupando videlicet Narbonensi provinciâ intento, et in repellendis nostrarum partium delphinatibus, quam hujus belli diuturnitas, et huic malo perdifficile sit remedium invenire; rogo te etiam atq; etiam, ut hoc ab Opt: Max: Deo nostro pergas nostro nomine magis ac magis flagitare. Bene vale, Vir eximie, et summè observande Frater. Dominus Jesus tibi sanctisq; tuis laboribus magis ac magis benedicat. Geneva 15. Decembr: 1590.

Tuus Beza.

144)

D. WIGANDO GEBERSHAGEN Salutem in Christo salute nostra.

Valde mihi gratum est, D. Wigande, quòd Amici memoriam non deponas, et gaudeo cumprimis eo te loco nunc agere, unde frequentiùs colloqui liceat. Gratulor etiam Tibi de functione tam honorifica et Ecclesiæ Tabernæmontanæ de pastore tam spectatæ doctrinæ ac fidei. Quod de confusionibus quereris, non miror, nec te offendere debent. Nobis tecum communis hæc querela est. Nam etiam hîc nescio, an non nostri Æthiopas lavent: tanta est doctrinæ puritatis contemptus: tanta majorum partis profanitas et cæcitas, nec omninò mirum. Nam falsæ illæ opiniones adversùs quas luctamur, non modò jam ante vulgi animis altissimè insederunt, sed magis magisq; etiam confirmantur portentosis adversariorum calumniis, quibus